





1909. 2133

XXIII

Q. D. B. V.
DISPVTATIO PHILOSOPHICA
COMPLECTENS

THESES RECEN-
TIORES PHILOSOPHIAE
CONTROVERSAS

QVAM
PRAESIDE
M. IO. BODO VLRICI.

HAYNRODA-SONDERSHVSA-SCHWARTZB.

D. SEPTEMBR. A. R. S. cIo 10cc xxxI.

IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
PVBLICE DEFENDET

IO. REINHARD PEISSEL
THVRINGVS PHIL. ET SS. THEOL. CVLT.

VITEMBERGAE
EX OFFICINA HAKIANA.



DISPUTATIO PHILOSOPHICA
COMPLETENS

THESES RECEN
TIORES PHILOSOPHICAE
CONTRORSAS

GVAM

P R A E S I D E

M. JO. BODO VLRIICI

PHILOSOPHIAE SONDERSHAUSAE SCHWARTZAE

PHILOSOPHIAE SONDERSHAUSAE SCHWARTZAE

IN

ACADEMIA VITTEMBERGENSI

PUBLICAE DEFENDET

IO. RICHARDUS PFEIFFEL

PHILOSOPHIAE SONDERSHAUSAE SCHWARTZAE



NUMERUS

EX LIBRIS

13A 1298





THESIS I.

Eruditio est euidens & solida, veri
bonique notitia.

Rat. I. Quia eruditionis veluti partes essentialia constituntur intelligentia & scientia; illa clara veri bonique cognitione, haec firma & solida absoluitur. 2. quia inter cognitionem eruditam & vulgarem hoc maxime interest, quod haec plerumque, non, nisi historica in iis, quae sensuum adminiculo innotescunt, acquiescat; illa vero simul in causas rerum rationesque inquirat.

THESIS II.

Quatuor tantum sunt habitus, seu
virtutes intellectuales: Intelligentia,
Scientia, Ars, & Prudentia.

Rat. Quia ipse intellectus nostri finis, nec plures requirit, nec pauciores, quam quatuor hosce. Est enim finis nostri intellectus, veritatis cognitio & ap-
pli-

plicatio, siue internam spectes, siue externam. In omni veritate vero, ad tria maxime attendendum est, primo ad sensum verum, deinde fundamentum verum, ac denique vsum verum; sensu vero, Intelligentiam, fundamento vero, Scientiam, vfu vero, Artem & prudentiam nobis comparamus.

THESIS III.

Non idem sentimus cum iis, qui falsa Sapientiae notione abducti, quantum intellectus habitum eam esse, censent; vt potius totius animae intellectus sc. & voluntatis, eam esse perfectionem, contendamus.

Rat. Si enim Sapientia est perfectio animae, est perfectio, intellectus, aut voluntatis; aut utriusque. At non est perfectio intellectus tantum, quia perfectio intellectus consistere potest cum stultitia, quam, auersionem mentis a vero & bono, definimus. Qui enim bonum cognitum non recte amat, eruditus quidem, sed non sapiens dici meretur, stultum enim sapientem vocare, prorsus absonum est. E Sapientia non est perfectio solius intellectus.

Neque est perfectio voluntatis tantum. Sapientiae enim titulus non dignus est is, qui euidenti & solida veri bonique notitia destitutus, virtuti saltem deditus est. E sapientia non est perfectio solius voluntatis. Est itaque

itaque Sapientia perfectio vtriusque facultatis, adeoque totius animae, & ita possessione veri & boni absoluitur. Tribus hinc modis circa verum & bonum versatur Sapientia: primo vt verum, & bonum cognoscat, deinde ut verum, & bonum appetat, tertio vt verum, & bonum possideat, primum intellectus, secundum voluntatis, tertium totius animae perfectio est.

THESIS IV.

Quemadmodum dubitatio sceptica, hominis ex instituto delirantis, sanaeque rationi vim inferentis propria est, ita obiectum ecclecticae dubitationis non sunt promiscue res omnes, sed ex numero eorum, de quibus dubitare fas est, eximenda sunt

1. quae immediatam habent euidentiā, siue sint res singulares, siue vniuersales & principia,
2. quorum suspensione lex naturae violari potest.
- e. c. Deum existere, dubitare velle.
3. quae diuina reuelatione constant.

Rat. Quia ecclecticae dubitationis finis euidentiā est, at vbi iam supremus radiat euidentiāe gradus, ibi frustra suscipitur dubitatio. THESIS

In
est,
ve
en-
&

Isa
um
nt;
fc.
m,

per
que.
erfe-
uam,
Qui
ditus
enim
entia

ciae e-
solida
editus
is. Est
itaque



THESIS V.

Male definitur actualitas, quod fit complementum possibilitatis. (*)

Rat. Quia de possibilitatis complemento loquentes, possibile opponunt actuali, ut possibilitatem ante actualitatem, adeoque sine eadem concipiendam esse, inquant, qua ratione nimis angusta erit definitio, & non nisi in regno rerum contingentium valet. 2. quia, cum possibile ante sui complementum non actuale sit, sequitur, possibile posse esse actuale & non actuale, quod vero ita esse, & non esse potest in numero rerum necessariorum non facile collocandum erit.

THESIS VI.

Inconueniens est, possibile pro essentia entis in genere venditare. ()**

Rat. Quia inter essentiam realem, & essentiam possibilem magnum discrimen interest, essentia enim realis ab existentia rei non differt, explosa illorum sententia, essentiam entis realis esse posse, ut tamen ipsum non existat, vano labore contendendum. Est enim essentia id, per quam quid est, quod est. Essentia entis realis est, per quam ens reale est, quod est: essentia entis possibilis est, per quam ens possibile est, quod est. 2) quia ab æquiocis non licet abstrahere. 3) quia hoc modo ipse Deus in classe entium possibilium collocatur.

THES. VII.

(*) cf. Celeb. Wolffius in Metaph. §. 14.

(**) cf. Wolff. l. c. §. 35.

THESIS VII.

Systema influxus præferendum
est, systemati causarum occasionali-
um, & harmoniæ præstabilitæ. (*)

N systemati causarum occasionalium

Rat. I. Quia Spinozismum redolet. 2) quia apta illa & sapiens organorum, membrorumque humanorum dispositio, nullius usus adeoque frustra h. e. sine fine homini concessa forent. 3) quia Deum se ipsum venerari, semetipsum extimescere, se tanquam incognitum prædicare, dicendum esset. 4) quia Deus, causa particularis omnium actionum humanarum, adeoque peccati causa constituitur, quod ne cogitare quidem fas esto.

N systemati harmoniæ præstabilitæ.

Rat. I. Quia sine ratione sufficiens effectum est. 2) quia eadem DEVM afficit iniuria, peccati causam eum constituendo. Sicuti enim omnes pravae cogitationes, ex ipsius animæ sinu quasi, & virtute eliciuntur: ita omnes inordinati motus, vi corporis insitæ debentur, iuxta hoc systema, non vero animæ directioni & influxui, ergo Deo debentur, qui talem vim corpori indidit, motuumque adeo inordinatorum, in primis ubi materiale a formali actionum non discriminari potest, eundem causam esse, cuius patet. 3) quia primo contradictionis principio aduersatur, fieri enim non potest

est

(*) vid. Wolf. § 765.



est vt corpus tanquam ens mere passiuum, nisi antea motum, moueatur, nedum motus suos ad animae arbitrium, eosque ex figura, quantitate, situque corporis non deriuandos facile, componat. 4) quia dissensiones frequentiores inter corpus & animam, constantem, inter haec duo, consensionem vel vno ictu labefactant.

THESIS VIII.

Omnes animi nostri sensiones, eodem modo, quo in praesenti rerum serie eueniunt, fore successuras, si quam maxime nullus mundus existeret, contententes, vix audaciae temeritatisque notam effugiunt. (a)

Rat. I. Quia experientiae quotidianae vim inferunt, quae, res actu existentes, atque praesentes non omnes, animam sibi repraesentare posse, testatur, nedum mundum actu non existentem. e. c. thesaurus terra absconditus vix erit obiectum sensuum animae. 2) quia parum constanter, ea, quae alibi vano conatu ponunt, temeraria usi ratione, hic iterum euertunt. Passim enim fatentur, animae sensiones accommodari ad motus in corpore euenientes, hancque esse illam statutam a Deo, limitationem a qua anima in sentiendo pendeat. At vero, sublatis rebus externis, tolluntur illae

(a) vid. Wolff. l. c. §. 777.

mulomnes illae affectiones, in corpore ab iisdem obortae, quibus sublatis, tolluntur & ipsae animae humanae sensationes.

THESIS IX.

Personam perens, sibi conscium, se esse idem, quale antea, in hoc vel illo statu fuerit, definientes, vocem crepant notione vacuam.

Rat. I. Quia sine ratione sufficiente a recepta personae definitione receditur. 2) quia, iuxta hanc definitionem, infans recens natus, non erit persona 3) quia iuxta eandem, anima fit persona, quod usus loquendi vim infert. 4) quia est inadaequata; connotat enim perfectionem secundum quid talem h. e. quae in suo formali perfectionem notat, imperfectionis quid admixtum habentem, & non, nisi ad ens, mutationibus obnoxium, applicari potest.

THESIS X.

Confuse philosophantur, qui conclusioni, diuersa pro iisdem habenti, praemissas suppeditant, hoc modo:

Dasjenige woraus man begreifen kan, warum etwas ist, hat einen zureichenden Grund (*).

Num aber ist der Grund dasjenige, woraus man begreifen kan, warum etwas ist (**).

Darum ist der Grund dasjenige, was einen zureichenden Grund hat.

Rat. I. Quia illud ex quo cognoscitur, cur aliquid sit, est

*) conf. Celeb. Wolffius in Metaph. §. 30. (**) cf. Cel. Wolffii in Met. §. 29.

est ratio ipsa. 2 quia principium cognoscendi a principio sine dubio diuersum est.

THESIS XI.

Qui existentiae suae cognoscendi principium, & argumentum 7^o sui, & aliarum rerum sibi conscius esse, constituunt, & ita argumentantur:

Wer sich seiner und anderer Dinge bewusst ist, der ist:
Wir sind uns unserer, und anderer Dinge bewusst,
Also sind Wir: bonae demonstrationis
leges non exequuntur.

Rat. 1. Quia confundunt demonstrationis principium, cum criterio veritatis. 2) quia vitiosum in probando circulum committunt: cum enim ex mente auctoris sensationes animae, eodem modo securitatis creduntur, si etiam nullus mundus existeret; nullus homo sui existentiam, ex argumento auctoris inferre poterit, quippe 7^o Sui non animam tantum, sed & corpus complecti debet.

THESIS XII.

In aeternitate non datur successio.

Rat. Quia est duratio infinita, ubi nulla momentorum durationis successio locum habere potest. Vbi enim momentorum datur successio, ibi datur numerus, ubi datur numerus, ibi datur maius & minus; at in infinitate maius & minus admittere, plane insulfam est, quasi vero, ante millia momentorum, minor infinitas, post eorum complementum, maior infinitas reddita fuerit, adeoque incrementum ceperit.

THES. XIII.

THESIS XIII.

Notione creationis essendi initium inuolvente, impossibilis est possibilitas mundi aeternitas.

Rat. Si enim creationis idea in actu signato annexam habet ideam initii, contradictio in adiecto foret, rem creatam sine initio concipere posse.

THESIS XIV.

Anima non tota est in omnibus corporis partibus.

Rat. I. Quia ex notione spiritus non fluit, ut totus sit in toto, & totus in qualibet parte. 2) quia tot animae, quot corporis partes, numerandae forent, at vnum non potest esse plura. 3) quia sibi ipsi, extra se, supra, & infra, ante, & post se, praesens censenda esset.

THESIS XV.

Duplicem spiritum statuere, intellectum & voluntatem, infelicis cerebri foetum esse, arbitramur.

Rat. I. Quia nulla ratio idonea, quae, receptam intellectus, & voluntatis notionem deserere, suadeat, produci potest. Non omnis enim pugna, subiecti diuersitatem inducit, alias voluntas a semetipsa foret diuersa, sed pugna directa opus est, iuxta verae contradictionis requisita se exerente. 2) quia vnus abs-

que altero existere, adeoque & operari possit.
 3) quia intellectus, spiritus a voluntate realiter diuersus, cum non peccet, non eodem post hanc vitam, sed diuerso cum voluntate statu, futurus esset.

THESIS XVI.

Intellectus non est subjectum libertatis, sed voluntas.

Rat. I. Quia intellectus facultas necessaria est, quae semper determinatur in operando, vel ab obiecto, vel a voluntate. 2) quia, qui non potest velle, non potest eligere, qui non potest eligere, non potest liber esse, sine facultate enim eligendi, libertatem concipere, contradictorium est.

THESIS XVII.

Intellectui nullum in voluntatem competit imperium.

Rat. Quia, qui non potest velle, non potest efficere, vt exequatur alterum, quod ille velit, qui non potest efficere, vt aliud exequatur, quod ille velit, non potest imperare, qui non potest imperare, illi nullum competit imperium, cui nullum competit imperium, ei neque in voluntatem idem competere potest. E. intellectui nullum in voluntatem competit imperium.

THESIS XVIII.

Insulsum est, planeque absonum, statuere Deum hominum intellectum vniuersalem. (*)

Rat.

(*) vid. Malebranch. de inquir. verit. lib. III. cap. IV.

Rat. I. Quia intellectus noster est imperfectus, tum quoad modum cognoscendi, tum obiecta ipsa. 2) quia non omnes aequali gaudent intellectu, sed unus alterum acuminè superat. 3) quia non omnes idem sentiunt, quot capita enim tot sensus. 4) quia voluntatem quilibet peculiarem habet, ergo, & intellectum peculiarem habeat, necesse est.

THESIS XIX.

Omnem propositionem particularem conuerti posse per accidens, nondum ratione adsequi potui. (*)

Rat. Quia frustra adferitur, huius propositionis eam esse naturam, ut praedicatum sit species, subiectum genus, exempla enim contrarium suadent, si dicas: Quid eruditus errat; non recte conuerteris in hanc: Omnis errans est eruditus.

THESIS XX.

Qui definiri Deum posse arbitrantur, diuinarum perfectionum adeo non immemores esse, censendi sunt, vt potius rationibus haud contemendis, sententiam suam muniant.

Rat. I. Quia plura de Deo nobis innotescunt, quorum unum est ratio alterius, priora enim in definitione entis infiniti, posse adferri, non absolum est. 2) quia

B 3

non

(*) Vid. Cel. Rudigerus in Senf. Ver. & Falf.



non Deo, sed cogitationibus nostris ponuntur limites, intellectus enim noster, non rebus, sed ideis occupatur proxime, quae proinde definiri debent, ne aliena de Deo concipiamus. Distinguendum itaque est inter definire physice, & definire logice, ibi res, hic ideae definiuntur. 3) quia genus definitionis cuiuslibet, nullam plane importat superioritatem, a qua res definita pendeat; sed est ideale, denotans aliquid, rei definiendae cum suis cognatis commune.

THESIS XXI.

Primus conceptus in Deo non est
παντελειότης neque infinitas, sed independentia.

Ν παντελειότης.

Rat. Quia, cum sit potius, omnium attributorum diuinorum complexus, aliquid sui ipsius rationem esse posse, nugandum foret ex instituto.

☞ infinitas.

Rat. Quia illius ratio continetur in conceptu independentiae. Infinitum est, quod quicquid esse potest, simul est, adeoque limitibus caret: ratio vero, cur Deus careat terminis, est, quod ipse a nullo pendeat, quod ipsi limites ponere potuerit; ipse vero sibi nullos ponet, cum quodlibet ens amet sui perfectionem.

THESIS XXII.

Materia nec cogitare, nec cogitandi virtutem recipere potest.

Rat. I. Quia materia est ens mere passivum 2) quia quidquid a corpore dependet, ab illius dependet quantitate,

tate, figura, & partium dispositione, & situ 3) quia, cum minutissimis & indiuisibilibus corporis partibus, nulla competat cogitandi vis, nec toti eandem competere, propter harum partium cohaesionem, & dispositionem putandum est. 4) quia cum quotidiana experientia pugnat.

THESIS XXIII.

Immortalitatis animae humanae, eiusdemque, a brutorum animabus, discriminis, non datur certius cognoscendi principium, quam, quod homo factus sit ad finem infinitum.

Rat. I. Quia, qui vult finem, etiam media velle, intelligitur.

Finis enim infinitus animae immortalitatem, abstrahendique facultatem requirit. 2) quia hoc modo facile retunduntur aliorum contra animae humanae immortalitatem vani insultus, ac si non constaret liquido, an forte eas instar brutorum, destructura sit infinita diuini numinis potentia.

THESIS XXIV.

Dari aliquod spirituum genus, a Deo & anima hominis diuersum, sana ratio omnino inuestigare potest.

Rat. I. Quia experientia tales sistit operationes, quae nec

Deo, nec animae humanae adscribi possunt. e. c. obsessiones quarum truculenti effectus saepe & maligni satis aperiunt, Deum causam eorum esse non posse, neque ab anima sua quendam obsideri, dixeris. Nec sufficit ad a-

animam

nimam quandam separatam, & obfesso feſe aſſocian-
tem prouocaffe, quia α) nulla patet ratio, cur potius ani-
mabus, quam aliis ſpiritibus, adiudicare velis effectum.
 β) quia animabus, a corporibus ſuis ſeiunctis, maiorem
operandi vim & efficaciam, ad mirabilia quaeuis produ-
cenda, in primis, effectis cauſam malignam prodentibus,
adſcribere non poſſumus, e. c. vario uti linguarum ge-
nere. γ) quia conſenſus antiquiſſimarum gentium rem
ſatis confirmat.

THESIS XXV.

Duo dantur principia prima, vnum demonſtrationis di-
rectae, alterum indirectae, vtrumque in ſuo demonſtra-
tionis genere absolute primum vocari poteſt. Demon-
ſtrationis indirectae principium absolute primum eſt; Im-
poſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe: directae vero:
Quaecunque cogitationes conueniunt inter ſe, illae ſunt
verae, & quaecunque cogitationes non conueniunt inter
ſe, illae ſunt falſae.

\aleph Duo dantur principia prima

Rat. I. Quia non abſurdum eſſe videtur, duo principia, diuerſo
reſpectu, prima appellaeſſe. α) quia fieri non poteſt, vt vtrumque
demonſtrationis genus, in vnum commune reſoluatur princi-
pium. β) quia hoc modo facile reprimuntur aliorum contra il-
lud, omnium conſeſſione, primum contradictionis principium:
Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, acſi primum eſſe
repugnet, cum in alio quodam ratio ipſius contineatur; ſunt
enim duo illa principia ita comparata, vt vnum ſit ratio alte-
rius, eſt tamen, & manet quodlibet in ſuo demonſtrationis
genere, absolute primum.

\beth Vtrumque adductorum principiorum primum eſſe patet.

Rat. quia omnes principii primi conditiones in iisdem concu-
runt, ſunt enim propoſitiones 1. verae, 2. vniuerſales, 3. eui-
dentiffimae. 4. indemonſtrabiles, quodlibet ſc. in ſuo genere.

— (o) —

fociam
ius ani
ectum
iorem
produ
ntibus
um ge
m rem

nis di
onstra
emoni
t; Im
vero:
e sunt
inter

liuerfo
umque
princi
ntra il
ipium:
m esse
; sunt
o alte
ationis

patet.
oncur
3. eui
nere.

24





1909. 2/33

XXIII

Q. D. B. V.
DISPUTATIO PHILOSOPHICA
COMPLECTENS

THESES RECEN-
TIORES PHILOSOPHIAE
CONTROVERSAS

QVAM

PRAESIDE

M. IO. BODO VLRICI.

HAYNRODA-SONDERSHVSA-SCHWARTZB.

D. SEPTEMBR. A. R. S. cIo 1ccc xxxI.

IN

CADEMIA VITEMBERGENSI
PVBLICE DEFENDET

IO. REINHARD PEISSEL
THVRINGVS PHIL. ET SS. THEOL. CVLT.

VITEMBERGAE

EX OFFICINA HAKIANA.

inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
8

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.